



1978

L

1294



EPISTOLA  
PASTORALIS  
QVA DE  
PRUDENTIA, PASTOREM IN SACRO MVNERE  
DECENTE, EIVSQUE INDOLE ET NECESSITATE  
SVMMATIM EXPONENS,  
ANNIVERSARIAM R. MINISTERII SYNODVM,  
MORE ATQVE INSTITVTO MAJORVM  
AD D. IV. NON. SEPT.  
CL<sup>o</sup> 1<sup>o</sup>cc LXVI.  
IN CONSPPECTV  
PROCERVUM SVMMORVM  
ALIORVMQVE FAVTORVM CONFLVXV  
CELEBRANDAM,  
MAXIME ATQVE PLVRIMVM  
REVERENDIS FRATRIBVS.  
DIOECESI MVHLHVSINAЕ ADSCRIPTIS  
INDICIT  
CHRISTIANVS GOTTLIEB REINHOLD;  
PAST. PRIMAR. CONSISTORII ASSESSOR, GYMNASII  
SCHOLARVMQVE RELIQVARVM INSPECTOR, ET  
DIOECES. MVHLHVSINAЕ SUPERINTENDENS.

---

MVHLHVSINAЕ FORMIS BRUCKNERIANIS,

C. 20.

A 122




78 L 1234

AK

74

L 1, 882



## V I R I S

Maxime ac Plurimum Reuerendis, Cla-  
rissimis, atque Doctissimis,

Reuerendi Ministerii MuHlhusini  
Collegis Coniunctissimis,

Dn. M. Augusto Christiano Starckio, Archidiacon. et Iudi-  
cii Prouoc. Ecclesiast. Assessori,

Dn. Ioanni Andreae Fritchlero, Diac. ad D. Blasii et R.  
Minist. Seniori,

Dn. Christiano Theophilo Schreibero, Diac. B. M. V.

Dn. Ernesto Adolpho Vockerodto, Past. ad DD. Nicolai  
et Petri,

Dn. Ioanni Iacobo Sontagio, Past. ad DD. Georg. et Mart.

Dn. M. Beniamino Christophoro Eisenhardtio, Past. utrius-  
que Grabae,

Dn.

Dn. Christiano Adolpho Frohnio, Past. Kaylershag, et  
Reiser.  
Dn. Ioanni Georgio Grossio, Past. Lengefeld.  
Dn. Tobias Mehlbachio, Past. Goerm.  
Dn. Christiano Adolpho Hippio, Past. Hoenged.  
Dn. Ioanni Henrico Brauhardto, Past. Felcht. et Aemil.  
Dn. Godofredo Adolpho Helmsdorffio, Past. Solst. et  
Eigenrod.  
Dn. Gottlibio Guilielmo Reichelio, Past. Ammar.  
Dn. M. Godofredo Vollando, Past. VVindeberg et Saalf.  
Dn. Christiano Godofredo Spichardo, Past. Eigentied, et  
Sambac.  
Dn. Ioanni Iusto Reinhardo, Past. Bolstad.  
Dn. Ernesto Godofredo Vockerodto, Past. Dachried.  
Dn. Ioanni Ottoni Voglero, Past. Doern., et Hollenbac.  
Dn. Ioanni Rudolpho Ringlebio, Past. Horsmar.  
Dn. Christiano Beniamino Eisenhardto, Past. Extraord. I.  
Dn. Ernesto Christiano Vockerodto, Past. Extraord. II.

Fratribus  
In Christo Dilectissimis  
S. P. D.  
Superintendens,

Annes



Annus fere clapsus est, Fratres Venerabiles, ex quo  
Domino messis, operarios in vineam suam mittenti, praeter  
omnem meam spem et expectationem, munus Antistitis Ec-  
clesiae Mulhusinae, certe grauissimum, mihi demandare pla-  
cuit, meque hunc gregem, quem sanguine suo redemit, pascere  
jussit. Evidem, cum a *Magnifico Senatu Interiore* ad hoc  
munus capessendum amantissimis litteris inuitarer, me illud  
cum sancta quadam uerecundia ac tremore in humeros meos  
suscepisse, ingenue fateor. Habita enim uitium mearum ra-  
tione, atque imbocillitate carum ad animum reuocata, non  
potui non grauitatem hujus officii persentiscere gemebundus,  
cum quantum sapientiae, prudentiae, animi, diligentiae, fidei  
ac patientiae illud requirat, accuratius perpenderem. Ex quo  
autem certissime cognoui, hanc mihi prouinciam singulari  
prouidentiae diuinae nutu demandatam, et *Excellentissimos*  
*bujus reipublicae Patres* in hoc negotio summa cum religione,  
fide et pietate egisse, meque adeo omni ambitus culpa peni-  
tus carere sciebam, Deo, cuius prouidam curam per omnia  
uitam meam expertus sum, totum me tradidi, ejusque uolu-  
tati sanctissimae parendum esse judicavi, spe fretus certissima,

B.

ipq

ipsum mihi vires, tanto muneri gerendo non impares, suppeditaturum. Neque me spes mea fecellit. Gratias enim, quas possum maximas, Deo omnium honorum auctori statiorique habeo atque ago, qui laboribus meis, quanticunque sint, ita benedixit, ut prospero successu non plane careant, seminaque, quae fulcis mandaui, satis lactam jam segetem ostendant, largam messem, ut spero, olim laturam.

Quae omnia multum faciant ad animi tranquillitatem mihi conciliandam, atque in posterum stimulos mihi addent, ut, quam diu in vinea sua Dominus operari mihi concesserit, finem principalem, ad quem fidelis Ecclesiae Doctor contendere debet, ante oculos positum habeam, neque minus me ipsum, quam *Vos*, *Optimi Fratres*, erigam atque incitem, ut munere nostro sapienter, sancte et salutariter fungamur. Pastorem enim, uel opibus corradendis, uel honori captando, uel rei domesticae administranda unice intentum, uel otium uitamque curis et laboribus plane liberata querentem, tanto nomine plane indignum judicabitur. Tria potius, sicut nobis uidetur, animo sibi proposita habere debet: primum quidem, ut Dei ter *Optimi Maximi* atque Seruatoris nostri Honorem amplificer, atque fines regni ejus proferat: alterum, ut animalium sibi commissarum, salutis aeternae prospiciat, coelique participes faciat: tertium denique, ut reipublicae atque societas humanae commodis inseruat, monendo magistratus, subditos, parentes, conjuges, liberos, dominos et seruos, de suis euangelique officiis.

Serui sumus, *Optimi Fratres*, omnipotentis Dei, supremi orbis terrarum Domini, sensu singulari ita dicti, atque adeo

ad eo id curare, et omni studio in id incumbere debemus, ut uoluntas ejus fiat in terris, sicut et in coelo, quae omnis in hoc est, ut ipsi gloria et honos, nobis autem salus hujus saeculi et aeternitatis contingat. Haurienda proinde ueri et uiri Dei cognitione tum ex operibus, tum ex uerbo ejus, atque homines in eam consuetudinem deducendi, ut animum aduentant ad omnipotentiam, sapientiam et amorem in creaturis manifestatum, neque minus aurem praebent sermonibus sacris, in quibus uerbum Dei explicatur. Summa enim multitudinis deprehenditur in hac re ignorantia, negligentia et leuitas, quae frequenti admonitione opus habet, si quando Dei, Domini nostri, cognitione imbui debet. Absque cognitione sui creatoris, inquit Augustinus, omnis homo pecus est; et Christus ipse Ioh. XVII. 3. *Haec est uita aeterna, ut te unicum uerum Deum et quem misisti Iesum Christum cognoscant.* Vnde consequitur, ut animus amore benignissimi Numinis inflamatus, odio peccatorum non minus, quam desiderio seruandi praecepta ejus, flagrare incipiat, habeatque adeo ipsi honorem, non uerbis solum, sed re et opere comprobandum.

Equidem mihi ipsi majorem felicitatem, cum insigni voluptate conjunctam, animo effingere atque excogitare non possum, quam hominibus auctorem suorumque aeternae illius salutis esse consequendae, quam Iesus, Dei filius, sanguine suo nobis peperit, coetuque coelesti imperavit. Si enim in Catone Majore suo de lenibus, studiis discentium stipatis, recte censet Cicero, *nullos bonarum artium magistros non beatos perrandos esse:* quanto beatiores disciplinae Christianae magistri putandi erunt! *Omnia reliqua munera humana, ne iis qui-*

dem exceptis, quae cum summis honoribus conjuncta sunt, ad terrenas quasdam fluxasque utilitates spectant, quibus vita nostra secura, grata et commoda fiat, societasque humanae salus floreat. \* Vnico tantum muneri, cuius auctor Messias existit, quodque salutem per Christum partam hominibus annunciat, major finis est praescriptus, hic scilicet, ut homines propter peccata a Deo dissociati, denuo in ipsius gratiam restituantur atque haeredes et cohaeredes Iesu Christifiant. Rom. VIII. 17. Dominus nos misit ad hominum oculos aperiendos, ut ex genebris intucem et ex Satanae potestate ad Deum conuertantur, ex ita peccatorum ueniam consequantur, Act XXVI. 18. Nos uocauit, ut ad illuminandos, conuertendos, regenerandos, sanctificandos que homines nostram conferamus operam, uiamque monstrarem illis, qui, fragilis hujus corporis laxati uinculis, aeternali felicitate post mortem frui, in uotis habent. Nobis Pastorum munus injanxit, ut saluti ouium nostrarum inuigilens, rationem aliquando de iis reddituri. Ebr. XIII. 17. nosque ipsos, et qui nos audiunt, seruare studeamus. 1. Tim. IV. 16.

Ipsi sumus, Collegae aessumatissimi, membra reipublicae, jusque tuela fruimur, quare nobis incumbit, habito tamen

mu-

---

\* Ita quoque sentit Melanchthon: Nostra dicens, uox est organum, quo Deus uers et sine illa dubitatione in membris credentium est efficax proprius filium, et largitur bona aeterna; quae, ne omnes norint, omnibus interitatis commodis, et ornamentis longe anteferenda sunt. Ut igitur bona aeterna pricipue expetenda sunt, ita sciamus, Ministerium Euangelii sumium gradum esse orationis functionum: uid. Philippi Melanchthonis Selecti Declamat. Tom. III. Seruess. anno 1587. p. 571.

Muneris nostri respectu, curam gerere, ne quid detrimentum capiat, uel moribus ciuium corrumpatur. Nostrum est timore Dei homines a uitiis deterrere, quos poenae temporales uix continere possunt; amore Dei ad uirtutes incitare, quae saluti publicae profundunt; cauere ne discordiis animi ciuium disficiantur, atque florentissimus reipublicae status perueratur; pacem, magistratum fidem et iustitiam, ciuium amorem et obedientiam, firmare et augere, ut proinde ad eundem finem, quo leges et jura ciuitatis tendunt, conscientia et uerbo Dei omnes perueniant. Sumus enim Ministri Principis pacis, Deique, qui ipse amor est Ioh. IV. 8. Conjungendi ergo sunt a nobis ciues amore non fucato, omnis perfectionis uinculo. Col. III. 14. Hortandi parentes, ut liberorum educationem curae cordique habeant, liberique ut morem parentibus gerant; solandi scholarum praefecti inter munera suis molestias, recipiendi in tutelam et ad labores excitandi, Domini de familia bene regenda instituendi, serui autem de uita et obedientia praestanda admonendi, conjugum discordiae dirimendae, ut domestica pace fruantur. Ciuum enim pietatem, reverentiam erga Deum, temperantiam, castitatem, iustitiam, amorem, liberalitatem, et quae sunt ejus generis uirtutes, non minus conferre ad publicam salutem, quam uim armorum, mercaturam, artes et scientias, rem numismatiam et alia, ad quae saepius homines unice attendunt, oppido unusquisque uidebit, qui rerum publicarum penitiori cognitione est instructus.

Quae cum ita sint, ipse ille fraternalis amor, quo *Vos amplexor, Exoptatissimi Collegae, me sperare jabet, fore, ut hunc*

triplicem finem *Vobis* semper propositum habeatis, neque quae *Vestra*, sed quae Iesu Christi sunt, quaeratis, Phil. II. 4. Certe nonnulli *Vestrum*, Viri pietate, moribus et doctrina conspicui, mihi mentem suam de hac re ita declararunt, ut non solum bene de illis sperare, sed etiam confidere possim, officia eorum rei Christianae certo profutura. Facile autem omnes perspecturi estis, quanta ad hos grauissimos, quos supra indicaui, fines consequendos, animarum Pastori opus sit prudentia, de qua pauca hic distulerere animus est mihi, primam hanc Reuerendi Ministerii Synodum *Vobis* indicenti.

Prudentiae nomine intelligitur habitus utendi mediis ita quidem, ut finem propositionis certo attingamus. Quodsi illa sapientia distinguenda erit, haec in delectu mediorum, prudentia autem in usu et applicatione eorum ad finem posita est. Conjunctissima tamen est utraque animi uirtus, siisque fere pro synonymis uti licebit. Requirit ergo prudentia, ut uerum bonum a falso et majus a minore rite discernamus, atque remedia eligamus scopo nostro ita accommodata, ut uia breuissima, tutissima et certissima ad illum perueniamus. Inuestigandae sunt rerum uires, effectus, circumstantiae loci, temporis, personarum, atque haec omnia ita dirigenda, ut impedimentis fortiter remotis, suscepta prospere succedant negotia. Non ergo satis est, rem bene nosse et loqui de ea, sed experientia magistra discendum, qua ratione gerenda sit, si bene factum esse debet.

Fuerunt hac prudentia gentes etiam, a uera religione remotae, non leuiter imbutae, atque satis perspicerunt, esse eam omnium actionum nostrarum, quas prospers succedere debent,

bent, ducem et magistrum. Quapropter praeclaras etiam illi laudes tribuerunt, quarum aliquam hic mentionem facere non incongruum uidetur, ut inde appareat, quanti sit habita a gentibus haberique debeat a Christianis in rebus, quas nos quidem tractamus, multo grauioribus. Plato L. I. de LL. p. 773. edit. Francos. 1602. Hanc esse primam diuinarum virtutum ducem et moderatricem, contendit. Eadem ιωχεὶς καὶ τεῖχος, καὶ ὄπλον σοφῆς, Pythagorae apud Ioannem Stobaeum Serm. III. p. 37. edit. Basil. 1549. audit; itemque τῆς διάνοιας ὀψίς Philoni dicitur; imo et θεός μέγας a Sophocle nuncupatur; Cicero uiuendi areem appellat et magistrum; quoniam reliquis virtutibus, tanquam administris, ad sapienter agendum utilitur, et earum ordinem, opportunitatem, agendi rationem offendit, ipsa nero tanquam mentis oculus est undique lucidissimus, quae, ut scienter Horatius ait,

Quod uerum atque decens est curat,  
et omnis in hoc est.

Hanc Latinū prudentiam, quod res experendas et fugiendas, ueras et falsas, acute prouideat, appellare voluerunt; ejus enim unius propria est indagatio et inuentio ueritatis; Graeci Φροντίου vocant, quod a uera perfectaque mente proficiscatur, unde ea modum ex exemplar pulcherrimam omnium suarum actionum dedit. Quinimo Iuuenalis Satyra X. v. 365. quo diuinam hancse virtutem magis magisque laudibus effusat, canit:

Nul-



Nullum Numen abest, si sit prudentia.

Cum itaque prudentia, quae solis naturae viribus comparari potest, tanti sit aestimata, ut gentiles tam praeclaratamque praestantia huic tribuerint nomina; ipsimet judicate, Collegae *hesumatisissimi*, qua cura illi prudentiae, quae Christiana, et Luc. I. 17. Φόρον διάναυτος nuncupatur, acquirendae studendum nobis sit. Profecto quo praestantior scopus est, ad quem omnes Christiani tendunt, qui palmam, ad quam vocati sunt diuinitus, per Iesum Christum consequi voluntur; quo minus per naturales vires hujus participes fieri possumus; quoque majora sunt impedimenta, quae hostes, qui aeternam perniciem nobis student struere, ponunt; eo majorem huic prudentiae operam dare necesse est, Deumque rogare illam, id quod ipsa Scriptura Sacra jubet Iac. I. 5. Quodsi quis uestrum sapientia \* caret, postulet a Deo, qui omnibus plane donat, nec exprobrat, et ei donabitur. Nemo enim sane casu aut fortuito in regiam aeternae salutis viam incident, sed quaerenda est sollicite, et constantissime tenenda, ipsa duce prudentia Christiana, quae faciem praeferit officiis nostris observandis,

---

\* Sunt, qui putant, uocem σοφίας ibi positam esse pro uoce Φροντίσεως, ut et Rom. XVI. 19. Ephes. V. 15. Col. IV. 5. Quicquid vero hujus sit, cum prudentia non minus donum Deum sit, quam sapientia, utramque precibus a Deo impetrandum esse patet.



undis, mediis gratiae rite exhibendis, fugiendisque animae periculis. Fides et vita Christianorum multis septa est difficultatibus, ab hostibus innumeris infestata, utilis quidem et summe necessaria, sed ardua et carnis cupiditatibus aduersari, atque inde bellum continuum, quod absque prudentia genit plane non potest. Deus proinde nos prudenter agere iubet, et mentibus non infantes, sed adultos esse, I. Cor. XIV. 20. nec sordides, sed intelligentes, quae sit Domini uoluntas, Ephel IV. 17. \*

Cum vero cujuslibet Christi cultoris officium sit ad prudentiae regulas omnes actiones suas conformare, hoc eo magis illi faciant necesse est, quos Deus mysteriorum suorum dispensatores constituit, ut praefantia illa bona, per

C. Jan.

---

\* Exstant variorum de prudentia Christiana commentationes, quas omnes recensere hujus loci non est. Notissimus inter nostrae Ecclesiae Theologos est D. Andreas Keslerus, Coburgi Superius tendens climi Generalis, cuius de prudentia Christiana libellus ibidem anno 1618. in 12mo prodit, quo docet, quo pao Christianus inter tot pericula, quae tum in primis Ecclesiae imminent, fidem integrum et sinceram, uitaeque sanctitatem illibatam seruare debeat, idque non Scripturae faltem dicit, sed etiam b. Lutheri testimonii comprobat. Nec minus etiam D. Joannes Rothmalerus, Sup. Gen. Rudolfstad. edidit Oeconomiam prudenterie Christiane in Tabulis, teste D. I. Mich. Langio in dissert. de Origine et progressu Theologiae Moralis §. 25. Adde Theologos ienenses celeberrimos, sc. b. Buddeum, qui in tertia parte Theol. moral. et S. V. I. Georgium Walchium, qui in postremo Capite sui libri: Einleitung in die christl. Moral von der wirthl. Erweisung des thätigen Christenthums nach den Regeln der Klugheit, anno 1747. editi, copiosè et eruditè differuerunt de Christiana prudentia.

sanguinem mortemque Christi parta, non in suam solum, sed aliorum etiam utilitatem, conferant. Et profecto, si quo alio in munere prudentia opus est, ea in Doctoribus Ecclesiae praecipue requiritur, ne improuide ac praecipitanter agendo, quod saepe accidit, scandalis praebant, bonaque causae magis noceant, quam profint. Semper ergo, illos in omnibus officiis partibus circumspicte agere, conuenit, et uidentur: an liceat? an deceat? an expediatur? Hinc Paulus uult I. Tim. 3, ut Episcopus sit *σωφρόν*, prudens, qui ductum sanac rationis, et multo magis praescripti diuini, sequatur, non cocorum affectuum impetu hoc uel illud praecipiter, unde majora mala, quam commoda Ecclesiae nascantur. Quae cum ita sint, singulari quoque prudentiae genere opus est, quam prudentiam pastoralem nominare solemus, cuius definitionem b. S. Dezingius in *Institutionibus prudentiae pastoralis* suppeditat illam. *Theologa*, inquit, uel *prudentia Pastoralis* est *habitus animo practicus, diuinis collatus, qui docet, quo pacto Ecclesiae Minister omnes suas actiones legitime ad suam et auditorum salutem promouendam, remosio impedimentis, dirigere possit debeatque.*

Neutriquam autem jam animo mihi proposui, quomodo prudentia Politica et ciuilis, Christiana et spiritualis, ecclesiastica et pastoralis inter se differant, uel conueniant, ostendere. Neque omnes prudentiae pastoralis partes in his paginis absoluam, quae partim a multis aliis \* sunt pertractatae,

---

\* Fuerunt jam ex Patribus Scriptoribusque Ecclesiasticis, qui hoc argumentum, *gumcu*,

tae, partim etiam in sequentibus, Deo uolente, Synodis colloquiorum nostrorum praecipua erunt argumenta. Liceat tantum mihi, Maxime atque Plurimum Venerandi Fratres, potissima rei capita summatis hic attingere et prudentiae

gumentum tractauerunt, quos nominat b. Buddeus in Instit. Theol. Mor. p. 637. Iaprimis hoc pertinent io. Chrysostomi Opera, et in illis sex libri de sacerdotio. Ex nostratis uero plurimi hoc argumentum excolendum sibi sumserunt, ex quibus praeceps sunt: Conradus Porta in Pastorali Lutheri, in quo ex scriptis Lutheri, quae hoc pertinent, coniunctim exhibuit. Io. Ludou. Hartmannus in Pastorali Euangelico. Io. Andr. Quensstedius in Ethica Pastorali. Christ. Kortholdus in libello, cuius titulus: Pastor Fidelis. Ahauerus Fritschius in bono Pakore. Sal. Deylingius in Instit. prud. Past. Christ. Timoth. Seidel in der Pastoral Theologie, und Sigm. Jac. Baumgartens kurzgefasste casuistica Pastoral Theologie, erläutert und heraus gegeben von Joh. Fr. Hesselberg. Legi quoque meretur: Des Königl. Synods zu Rendsburg wohlgemeinte und herzliche Ansprache, an sämtliche Lehrer der beyden Herzogthümer Schleswig und Holstein, quod scriptum, cuius Auctor ex filio aliquis circumstantis Praepositus Schraderus esse uidetur, hac in re raultum iuuat, et cuius praestantiam Vir summe Venerabilis Christoph. Anton. Friderici, Sup. Friburg: Fautorum meorum optimus et olim Ephorus meus us grauissimus, in Specimine II Iurisprudentiac Pastoralis agnouit; Si quid, inquit, in hac materia eleganter et praeclare exaratum dici potest, hic reperitur, ut ideo semper existimauerimus, scriptum hoc dignum uel maxime esse, quod ab omnibus purioris doctrinac praeconibus legatur ac relegatur. Ceterum iam commemorati S. V. Friderici Specimina Iurisprudentiac Pastoralis lectu dignissima de meliori Vobis, Fratres, commendabo. Res liquos uero, querum magna adhaec est numerus, lubens precepito.

pastoralis necessitatem pariter ac rationem tum circa munus nostrum generatim, tum circa euram animarum specialem, tum denique circa mores et uitam priuatam. Pastoris Euangelici paulo fuisus explicare atque Scripturae sacrae dictis comprehbare.

Ac primum quidem ipse Deus sapientissimus et benignissimus, qui omnes homines uult saluos fieri, et ad cognitionem ueritatis uenire, media salutis aeternae ordinavit, inspirando uerbum suum uiris Theopneustis, et Sacraenta instituendo, quibus gratia Iesu Christi offeratur et conferatur. Superfluum itaque foret anxie de subsidiorum, quibus adhibitis niunerit nostro satisfacere possimus, electione cogitare. Summus enim Ecclesiae Dominus hac de re uoluntatem suam nobis manifestauit. Sed in usu et applicatione horum admirandorum praecipua quadam prudentia experientiaque erit opus, ne illis incaute utendo oleum et operam perdamus et laboremus in cassum. Veritas recte secunda est, 2. Tim. II. 15, quo quibusvis quidvis euadamus, ac undique aliquos reddamus saluos. I. Cor. IX. 22.

Magna enim hominum a nobis docendorum diuersitas diuersam cum iis agendi rationem postularat. Differunt inter se aetate, ingenio, moribus, educatione, uite, genere et cognitione ueritatum religionis Christianae. Cum autem hi omnes iisdem remedii salutem consequi debeant, quis necessitatem prudentiae et diligentiae in applicatione illorum non perspicit? Atque haec ante omnia in praedicatione uerbi diuini obseruanda sunt, in qua praecipue ad varias auditorem naturas respiciendum nobis est; quae sine omni dubio

mens:

mens Pauli fuit, a Timotheo 2. Tit. II. 12. desiderantis, ut  
 uerbum ueritatis recte dissecare studeat. Eligite, quam uultis,  
 Fratres! inter variorum interpretum explicationes, si quae-  
 sitio oritur, unde metaphora uerbi ὁροτοπίαν desumpta et quo-  
 modo explicanda sit? Accedite, si placet, sententiis Lutheri,  
 Melanchthonis, Calouii, Caroli Henrici Langii, qui credide-  
 re, Paulum in hoc uerbo sacerdotes Veteris Testamenti re-  
 spicere, quibus secundum certas regulas hostiae erant disse-  
 cande, quo cuilibet debitam partem distribuere possent.  
 Deriuate, duce Erasmo Roterodamo, hanc metaphoram a se-  
 curi seu gladio, quibus inutilia et superflua alicujus rei mem-  
 bra resecantur; Quaerite, ut Lambertus Boissius, illius ori-  
 ginem in consuetudine agricolarum, qui agros recta uia  
 uomere proscindunt; Vel eligite Vobis Sal. Deylingit sen-  
 tentiam, cui uerbum ὁροτοπία ex opposito κανοτοπίᾳ explicare  
 placet, quorum alterum cum nihil aliud, nisi rei modum no-  
 uare, quasi noua sectura, significet, alterum, ex sententia ejus,  
 ita est explicandum, ut recto aut uero modo rem facere, eam  
 distribuere, aut adplicare denotet. Ad summam tamen quod  
 attinet, unanimiter fateamur erit necesse, Paulum a Timo-  
 theo tanquam partem prudentiae necessariam desiderare, ut  
 ad cujuslibet hominis conditionem uerbum diuinum rite ad-  
 plicet, atque in tradenda coelesti doctrina ad diuersum audi-  
 torum suorum statum sedulo attendat, quaeque huic uel illi  
 conueniant, recte obseruer. Et quis dubitet idem requiri a  
 quolibet Ecclesiae Ministro, ut scilicet prudenter ueritates  
 coelestes tradat et secundum Pauli dictum, I. Thes. V. 15.  
 castiget incompositos, soletur fractos animo, opituletur infirmis;

secundum Ep. Iudee v. 22. 23. quorundam misereatur, quos-dam uero cum timore saluos reddat et ex igne trahat; quin imo ut, eodem Paulo jubente, 2. Tim. III. 16. Rom. XV. 4. habita rerum circumstantium ratione, uerbum Dei doceat aut ad didascaliam, aut ad ἐλευχον, aut ad παιδειαν, aut ad ἑπαρο-θων, aut ad παιδιλην, ita quidem, ut in his omnibus prudentialiae leges et praecepta seruentur.

Didascalicum officium in sermonibus sacris, qui fiunt pro concione, maxime occupatur, ibique delectus rerum et uerborum prudenter instituendus est, si fini suo consequendo idonei et apti esse debent. Cauenda hic est omnis eruditio-nis ostentatio, et tam Philosophiae quam Philologiae abusus, non minus quam nugae et historiolae, risum magis quam plausum mouentes. Quid juuat Theologiae acroamaticas abstrusissimas ueritates docere illos, qui uel aetate uel mente ad huc pueri sunt, lacte egentes, qui prima doctrinae Christia-nae elementa discere debent Ebr. V. 12. Postulat prudentia pastoralis hoc genus hominum iis tantummodo ueritatisbus impertire, quarum cognitio maxime necessaria est. Neque minor prudentia circa institutionem juuentutis obseruanda erit, cuius memoriae mentisque uiribus consulere atque tales ei quaestiones proponere debemus, quas capere, et ad quae respondere possit \*

Neg

---

\* Legi hac in re meretur Gisbertus Voetius, prudentiam circa cas-techneses adhibendam prudenter Pol. Eccles. Part. I. libr. 2. tr. 3. C. I. p. 862. ita describens: *De modo, methodo at ratione cas-technisandi multa a multis quaeri et speculatiue disquiri audias, non tamen talibus immixti debemus, sed prius opus ipsum cas-pef,*

Nec sufficit Catechumenos ad sacram coenam praeparauisse, at si in eo negotium instruenda juuentutis omnibus numeris sit absolutum; potius illi, qui fundamenta religionis Christianae satis norunt, eandem imo maiorem postulant curam et prudentiam, ne prioribus ignorantiae nebulis illos sum animi rursus obducantur, sed quotidie in cognitione veritatis coelestis magis magisque erudiantur et confirmentur. Hujus rei exemplum nobis praeiuit ipse sapientissimus magister noster, Iesus Christus, in discipulis suis de novi foederis doctrina informandis, quibus si statim ab initio regni crucis naturam declarasset, procul dubio omnes ab eo defecissent. Falsas itaque et erroneas eorum opiniones, et si nunquam probaret et augerer, tulit tamen per longum temporis spatium, nec errantes e schola sua statim rejectit. Praejudicatis opinionibus de regno Messiae sensim extirpatis, illos tandem in viam reduxit, et quanquam ipsis multa de fidei

my-

---

pessere. Fabricando fabri simus, et per uarios usus experientia facit artem. Duplex scientia in catechista requiritur, tum sui, tum catechumenorum. In se cognoscet accurator, distinctos, perspicuos atque expeditos conceptus, quos latius, contractius in quaestionibus suis, quacunque in formas variatis, et in repetendis, approbandis, confirmandis, explicandis, suppleandis, corrigendis, catechumenorum responsis proponet. *Scientia Catechorum*, in eo consistit, ut ingenii, memoriae, et elocutionis uiri, cum oppositis defectibus in singulis discat ac perspicias. His si accedat zelus et indecessa diligentia cum ignorantium tolerentia, nec pudeat artificum catechistarum in hac arte exempla uidere, audire, imitari, non dubitandum, quin feliciter hec multe defunquens sit.

mysteriis dicenda fuissent, ea tamen, quae capere non poterant, ad aliud tempus distulit. Postquam autem per resurrectionem et ascensionem in coelum declaratus erat Dei filius, et effusione Spiritus Sancti Apostolorum mentes erant collustratae; tunc dies auroram fecitus est et omnino Euangelii ambitum animo sunt complexi. Diligenter igitur praecella illa exempla, quae Matth. XVI, 21. Ioh. XVI, 12. C. II, 22. consignata reperimus, contemplemur, uestigisque lapientissimi Doctoris nostri incedamus.

Elencticum officium circa errores refutandos errantesque in viam reuocando uersatur, nec minorem postulat prudentiam. Notum erit *Vobis, Fratres Speciatissimi*, ex historiae Ecclesiasticae documentis, quas turbas nonnulli excitauerint nimio disputandi feroce, et quam misere Ecclesia controuersiis innumeris sit dilacerata. Cauendum est Ecclesiae Ministro, ne tacendo et conniuendo ueritati, aut praepostero zelo charitati aliquid detrahatur. Quid juuat in erroribus, quos auditores nostri plane ignorant, refutandis tempus absumere, granioribus rebus destinatum? Ante omnia hominum male feriotorum insultibus obuiam ire debet fidei defensor, qui ipsam omnipotentis Dei existentiam et naturam, scripturae sacrae auctoritatem et efficaciam, ut et personam meritumque optimi Seruatoris oppugnatum eunt, quorum pestis his temporibus longe lateque grassatur. Refurandi sunt errores non solum theoretici, sed practici etiam, qui uiae Christianae obsunt et conuercionem impediunt. Monendi sunt praecipue auditores nostri, ne meritum Christi judicent esse priuilegium peccandi, aut misericordiam Dei tan-

tantam esse, ut sine fide et poenitentia homines salvos faciat, aut uitiae honestatem sufficere ad uitutem Christianam. In his omnibus erroribus conuellendis summa prudentia adhibenda est, ut ἐν σοφίᾳ καὶ ἐν συγκρίσει πρὸς τὰς ἔξω ambulemus 1. Thes. IV 12. Col. IV. 5. omniaque errantium argumenta probe ponderemus, ne ex altera parte paci, et ex altera ueritati dampnum inferatur. Sunt certe animorem morbi, qui nisi lenitate sanentur, maximis malis causam praebere possunt. Et hic animi moderationem nisi induamus, cogitate queso, Fratres, quis sit modus, quis finis controveneriarum futurus, si de minimis etiam rebus belle mouere, et nimio mentis impetu ac feruore concitati, animos errantium exulerare magis, quam emendare uoluerimus. Verba ἐλέγχειν ἐμηδουτζειν, Φιμεῖν, ut *nos* ipsi optime nostis, nihil aliud significant, quam idoneis ac solidis argumentis errores refutare, errantesque de ueritate conuincere, quod cum prudentia fieri debet amore temperata. Paulus monet 2. Tim. II. 24. Seruum Dei non oportere esse pugnacem, sed mitem erga omnes, ad docendum accommodatum, iniuriae patientem et cum mansuetudine dissentientes erudiemtem. \* et *Vos* non fugit, uerba ejus Tit. I. 13. ἐλέγχειν τὸν διάπολον ita interpretanda esse, redargue illos, ita quidem, ut omnis elabendi uia praecludatur omnisque neruus objectionum incidatur. Errores odi,

D

nun-

\* Quae Apostoli uerba de haereticis quoque, eorumque doctoribus intelligenda esse, obseruanuit b. Buddeus in Inst. Theol. Moral. p. 665. Adde Io. Hulsemannum de jure et moderat. conceptionis fratergac. p. 73.

nunquam uero errantes, quorum misericordia magis quam odio tangor, et Medicus potius, quam hostis et persecutor eorum esse cupio. Distinguendi tamen sunt prudenter auctores et praecones errorum, qui ueritatis nonnquam infessimi hostes sunt, ab illis, qui ex mentis infirmitate perducti sunt in deuia errorum, atque in illos majori feueritate utendum est, et sollicita cauendum, ne latius serpat uenenum, multorumque animos inficiat;

Paedeutici muneri partes sunt; monere credentes, seu regenitos, ad quos proprie paediaspectas, de usu ueritatum fidei ad mentis emendationem promouendam et de fide bonis operibus comprobanda uirtutibusque Christianis exercendis. Quarum rerum non solum perspicua et solida cognitione imbuendi sunt, sed etiam causis sat graibus et argumentis, a captu illorum non alienis, ad fidei obedientiam promouendi, et animo uere paterno castigandi. Cauendum est ante omnia prudenti Paedagogo, ne uiam salutis inuertat, et bona opera fidei praemittat, aut mere naturales uirtutes confundat cum iis, quae ex fide in Christum profluunt. Demonstranda est necessitas uirtutum Christianarum, et genuina illarum indoles repraesentanda, ut auditores ab externo opere, quod uocant, operato ad internam et ueram sanctitatem manuducantur, remotis omnibus impedimentis, quae uitiae spiritualis incremento obstant. Postulant sane animorum tractandorum discrimina hic quoque diuersos labores a prudente Pastore. Alii enim non magnos in sanctificationis studio progressus fecere, cum infantibus comparandi; alii jam ad adolescentum aetatem peruenierunt; alii in re Chri-

stis.

stiana gerenda viros se praefstant, quorum omnium diuersa sunt ingenia, vires, infirmitates atque indigentiae, ac propter diuersa ratione sunt tractandi. Quemadmodum enim in scholis discipuli in suas classes digeruntur, ita etiam in Ecclesia fieri debet, cum non omnia possimus omnes et duo cum faciant idem, non sit idem. Innumerae sunt uitae hominum uicissitudines, status, fata prospera et aduersa, munera, negotia, quae omnia sua postulant officia, a prudente Doctore auditoribus suis demonstranda. Simus, Fratres Suauissimi, uitae auditorum nostrorum individuuli comites, utiamque tam doctrina quam exemplo praeceamus, quae ducat ad salutem, ideoque sedulo percontemur, quid deceat quemque, quid conueniat, ut omnia se recte habeant in Ecclesia Dei non minus, quam in republica et domestico statu.

In Epanorthosi exercenda, quae uitia hominum reprehendere atque peccantes castigare, iisque peccatorum foeditatem atque damnum, nec non genuinam vitae emendandae rationem cum uerae poenitentiae indole, fructibus atque signis, ostendere debet, plurima sane opus est prudentia, cum in hoc negotio a plurimis peccari soleat. Atque hic etiam peccantium diuersitas caute erit obliteranda. Alii enim, natura timidi, dociles et lenes, rationibus facilius parent, qui si peccauerint, praecipua manuetudine in viam reducendi sunt, ne nimis seuere et uehementer cum illis agendo animi infringantur et penitus conculcentur. Alii natura feruidi, feres, superbi, impetu uehementiori feruntur, sive ipsiusque fraude peccati acneam frontem ferre amque cervicem induunt, Ies. XLVIII. 4. quibuscum ex-prudentiae praescripto seuerius

agendum est, et si publico peccant, eorum omnibus arguendi sunt, quo caeteri metu afficiantur. I. Tim. V, 20. Alii per peccata mortalia ex statu gratiae prorsus exciderunt; alii vero ex infirmitate in peccata quaedam prolapsi sunt; quare diuersa ratione redarguendi nobis ueniunt. Sapientissime illi admonitionis gradus sunt constituti, ut a leuiori ad grauiorem, a priuata ad publicam procedamus disciplinam, quos negligere placulum erit. Respiciendum semper ad illud Balduini in castigandis uitiiis non priuata vindicta queratur, sed falsi reipublicae et delinquentis, cum iurisdictio et narratio quis proprii nihil aliud sit, quam rei cuiusdam ex sua sede dimotae impristinum locum restitutio. Quodsi auditores nostri sentiant, nos auctore eorum flagrare, et tangi misericordia peccantium, neque ira aut odio agi, sed desiderio seruandi animas, facili uia adiutor patebit ad illorum animos, neque cum indignatione et odio, sed cum reverentia et gratia audiunt morientes et hortantes. Induite formam patris et amici, Collegae optimi, si quando uitia auditorum sunt castiganda: animum continete ab iracundia: placide omnem causam examineate: ipsi excusat, quae ueniam merentur, ut possitis jure damnare, quae peccata sunt: experiemini certo impossibile fere esse resistere amori, sapientia temperato, ipsisque uestris admonitionibus maximam gratiam estis inituri. Praecipua autem prudentia opus est in uitiiis Magistratum corrigendis, emendandisque moribus eorum. Oporter quidem nos cauere omenem προταπόλην Ια., II, 1, et cum magistratus quoque ad coetum nostrum pertineant, eademque, qui subditi, via aeternam salutem quaerant, in eam reducendi sunt, si forsan ab

ab ea distesserint. Quicunque enim diuites, imperantes et potentes, sicuti peccarint, blandimentis palpant et malefacta non redarguit, peccandi fomitem subministrat, delicta nutrit, ipseque omnem auctoritatem perdit. Qualem se erga hōs gesserit Paulus, uidere licet ex historia et Actis Apostolorum, quae ipsum nec Areopagitarum collegio Act. XVI. I. nec Sy nedrio magno Act. XXIII; nec regi Agrippae Act. XXVI, pepercisse narrant. Huc etiam referenda sunt exempla Prophetarum, Ioannis Baptiste, Christi et Apostolorum, I Sam. XV. 19. 2. Sam. XII. 7. I. Reg. XVIII. 18. Es. I. IO. Mich. III. I. Matth. XIV. 4. Ioh. XI. 9. ipsiusque Dei mandata e. g. Ier. XIII. 18. Neutiquam autem decet prudenter Ecclesiae ministrum de reipublicae administratione praepostero judicare, turbulentorum hominum ingenia sollicitare, et ci uili procellae se committere. Non sunt in templo tractanda, quae ad curiam pertinent, suaque Magistratui munera relinquenda, ipsa Deo demandata. Itmo, si necessitas urget, redarguere imperantium uitam et mores; id fieri debet cum reverentia, debita honoribus eorum, neque tam publice quam priuatim, ne ciuium minuamus obseruantiam et tuba cutionem, atque adeo illud Poetae tenendum:

**Est modus in rebus, sunt certi denique fines,**

**Quos ultra citraque nequit consistere rectum.**

Officii tandem paracletici est, solari miseros homines et variis hujus vitae malis afflitos, ut de gratia diuina certi patienter cuncta ferant et in Numinis voluntate placide acqui-

escant. Quae suauissima quidem munera nostri prouincia est, non tamen absque cura et animi circumspetione administranda. Attendere debet prudens Pastor tum ad animum moerentium, tum ad solatii argumenta, quae illis conueniunt. Sunt qui scelerum consciū, neque judicii extremi poenarumque aeternarum ignari, horrent vindictam Dei, atque seruili ejus timore agitati, solatia postulant cum impetu, et si peccatis nuncium mutere et ad meliorem frugem redire secum non constituerint. Hi ante omnia monendisunt, ut resipiscant et fructus poenitentiae ferant, neque solamina ad se rapiant, quae illis tantum conueniunt, qui animam suam Deo consecrarent. Alii non peccata, sed poenas hujus seculi dolent, atque uitae miseriis afflicti, morbos, paupertatem, iniurias et quae talia sunt, aegerrime ferunt, solarique cupiunt in ea re, ubi rebellantis contra Deum animi poenas potius quam recreationem merentur. Ehi etiam de salutari passionum scopo erudiendi prius et in viam restituendi sunt, quam solatia illis applicentur, quae Christus illis promisit, qui crucem suam in se suscipiunt ipsumque sequuntur. Constat enim liquido augeri hominum securitatem, eosque somno peccati sopiri, si solatio afficiuntur ante actam poenitentiam. Male curata vulnera cito recrudescunt mortemque aeternam secum ferunt. Salutaris illa tristitia, qua de peccatis serio dolemus, iramque Dei filiali modo formidamus, odio et abominatione peccati impleti, solatio digna est, ex vulneribus Iesu Christi ejusque meritis consumendo. Neque carent ueri Christi ciues recreatione in omni genere malorum, atque quaevis miseria suum habet solacium, cuius Sacra Scriptura largam copiam suppeditat.

Vi-

Videndum ergo est pridenti Ecclesiae ministro, quae in cū-  
jusque statum optime quadrent, et quodnam genus solatii  
huic vel illi maxime sit accommodatum.

Quod ad curam animarum specialem attinet, dolendum  
sane est, negligi eam a tam multis, qui uerbum Dei publice  
praedicare fatigant, parum curiosi et solliciti, quid sacris ser-  
monibus profecerint. Ipse Iesus Christus, perfectissimum  
exemplar iunioris nostri, de domo in dominum migravit, et  
ubique uerbum Dei secum tulit. Id sane officii pastoralis ra-  
tio atque finis requirit, ut nonaginta novem oves interdum re-  
linquat in deserto bonus Pastor, unicam querens, quam in bus-  
meros suscipiat et ad gregem reducat.

Cir-

\* Pluribus hoc confirmat B. Christ. Kortholtus in Pastore fidei, p.  
m. 179. Cum enim memoratu dignissimum hac de re locum ex  
Greg. Nazianzeno adduxisset, haec porro subiecit: Ex quibus  
prudentissimi praefulis uerbis inter alia apparet, non existimasse  
ipsius, solis concionibus, quae ordinarie et publice ad populum  
habentur, expediti posse omnia; quae quidem fidei Ministro,  
tanquam Ecclesiae Doctori, expedienda sunt. Et enim si pro tan-  
ta ingeniorum diversitate, diversimode etiam cum auditoribus  
agendum, utique, praeter ordinarias publicasque conciones in-  
super priuato opus erit labore. Unde etiam de se testatur A.  
postolus, quod ducuerit auditores suos publice et domatim  
(xar' òvras) nec cessauerit cum lachrimis admoneret unum  
quemque. Act. XX. 20. 31. Atque haec expendens Chrysostomus in Ep. ad Hebr. Hom. 34. omnium, inquit, et singulorum,  
qui curae tuae sunt commissi, mulierum, virorum et puerorum,  
sibi reddenda erit ratio.

Sed et reliqua, quae ex prudentiae praescripto idem auctor haec  
de re addit, legi merentur.

Circumspiciendae nobis ergo sunt, Optimi Fratres, occasio-  
nes, loca et tempora, quibus, uerbum Dei singulis applicati et  
quae cuius necessaria sint et utilia, dici possint. Indagandas sunt  
animorum inclinationes, uitia, uirtutes, infirmitates, curae et de-  
liciae. Inquirendum etiam in uita priuatam, educationem li-  
berorum, rei familiaris receptionem, munera administrationem, quod  
sibi potest uisitationibus domesticis, colloquis familiaribus et nar-  
ratione hominum fide dignorum. Non delectabit facile auditio-  
rum nostrorum quisquam ad nos uenire rogatus, si de re Christi-  
ana colloqui cum ipso necesse sit; nec praetermittet prouidus  
Pastor occasionem forte oblatam monendi illos, qui velhortatione  
vel reprehensione, vel solatio opus habent, quae omnia non minus,  
quam publica munera et sermones sacri, praemeditanda sunt, ut  
legitime et utiliter siant.

Principuae autem occasiones curae apimatum specialis ge-  
rendae sunt lecti aegrotorum et confessionis loci. Primit iam Ee-  
clesiae temporibus presbyterorum officium fuisse aegrotos inuisi-  
te, pacet ex lac. IV. 14. Boni pastoris est aegrotanti cui singularem  
opem ferre, perinde ac bonus parens filio laboranti succurret, et  
prae aliis de uita et ualitudine ejus erit sollicitus. Venisti des-  
iderabilis, exspectauimus te in tenebris, acclamabunt *Vobis, Colle-  
gae Optimi, morbo graui laborantes, quando acceditis ad eorum  
lectos instructi omni solatio et doctrina.* Vos ipsis apparebitis si-  
c ut gemina Ledaes sidera nautis in procella, et tranquillitatem mox  
secuturam denunciabitis. Non uero uisitandi eaneum sunt aegro-  
ti, cum uos accessuerint ad sacram synaxin celebrandam, sed sae-  
pius ultra etiam innisendi ii, qui graui morbo laborant et animo  
sime anguntur. Collocia cum his sunt instituenda de re Christi-  
ana, inuestigandus animi status, et quae cuique conueniunt, ex  
uerbo Dei impertienda. Ridiculum tane foret et Medicum de-  
perditum et circumforaneum proderet, una eademque medicina  
omnia

omnia morborum genera curare, quae tam uaria sunt, diuersaeque naturae. Meliusne uero facerent ministri, qui omnes aegrotos animo simul et corpore, eadem ratione tractare, eadem preceum et solatii formula uti, et adsueto generi dicendi tenaciter adhaerere uelint? Quo maius animae periculum in morbis est, quo pretiosius hoc postremum uitiae nostrae momentum, quo tristius aeternum hominis exitium; eo major debet esse cura, atque prouidentia doctoris, qui animae medicus est, ne qua in re officio suo desit, aut animae iacturam faciat, quae deinde est irreparabilis. Ipse Deus rebus aduersis et morbis prcipue excitat hominem animos ad poenitentiam, et praeparat ad uerbum suum serio meditandum, cuius nutui parendum est, praecipue quia hoc tempore monitoribus aures magis, quam alio tempore, patent. Eripite ergo, fratres dilectissimi, rogamus per viscera misericordiae Iesu Christi, infelices impiorum animas in hoc extremo et decretrario momento, si fieri potest, aeterno exitio, et seruare credentes, ne in portu naufragium faciant, er quotiescumque auditorum uestrorum quisquam uita functus est, Vosmet ipsos rite explorate, utrum omnia feceritis ad animam ejus saluandam? Quanto gaudio exultabitis, si aeternam ejus salutem sperare et de ea confidere potestis? Sed qui conscientiae morsus Vos lacerabunt, si animam culpa Vos perdidistis, Christi sanguine redemptam?

Saepius Vobis occasionem praebet cum auditoribus Vestrī de salute animae colloquendi, Collegae aestimatissimi, locus confessonis, quem omnes Ecclesiae Evangelicae doctores sacrum semper habuerunt. Bene factum est, si uestro coetu persuadere possitis, suis ut uerbis peccata consteantur eorumque ueniam Deum rogent, simulque Vobis statum animi confidentius aperiant. Licit autem plurima pars hominum simplicium atque de re Christiana non facili informatorum eadem semper confessionis formula utatur, e libro uel memoria deponita, Vobis tamen una eademque

Formula *absolutionis* semper uti non fecit. Bene nosse oportet auditores nostros, atque catalogum confitentium, si fieri potest, prius relēgere, et, quid cuique dicendū sit, praemeditari, quam locum confessionis ingrediamur, ut suum cuique tribuamus, et uerbum Dei rite dissecemus. Veniunt ad nos in hunc locum homines probatae fidei et pietatis, sed et suspectae et dubiae, his uel illis peccatis dediti, aut temptationibus uexati, juuenes, adulti, senes, decrepiti, diuites, egeni, nobiles, plebeji, prosperae et aduersae fortunae, Domini, serui, conjuges, parentes, liberi, et omnis generis aliqui, querum animus et uita aequa, ac facies, differe. Quis hos omnes una quasi fidelia dealbare, omnibusque eandem uestem aptare sibi sumat? Dicenda lunt cuique maxime conuenientia et ad ejus aedificationem accommodata, atque uerbi diuini applicatio, quae deficit saepius in concionibus publicis, hac ratione promouenda. Multa paucis sunt dicenda presto, simplici et emphatico orationis genere, quod animum feriat, stimulosque in eo relinquat. Arduum quidem et difficile hoc negotium est praeципue si per multas horas continuandum sit, utile tamen, et operae pretium certo laturum. Et si qua alia re certiores fieri possumus, nos fide, amore, omniisque animi potentia pollere, inde sane nobis met ipsiis hoc constabit, si per aliquot horas pari semper alacritate, eloquentia et uirium constitione, absque illa remissione et negligencia in confessionis fede lumen uersati.

Quod denique ad uitam Pastoris Euangelici priuatam pertinet, prudentis est, eam ita dirigere, ut sit exemplum et quasi realis praedicatio doctrinae, quam publice proponit, neque sit aliis in templo, alias autem in aedibus suis hominumque consortio, sed sibi semper constet, atque re ipsa et opere comprobetur, fide atque pietate nihil sibi esse prius, nihil antiquius. Quaeconque auditoribus suis tradit motum praecepta, ipse potissimum probe obseruet, ipraebeatque exempla in Deum feuerentiae, amoris, liberalitatis, patris

pacis et concordiae, educationis liberorum, et familiæ bene re-  
gundæ. In primis autem sibi caueat, ne in consortio et conuer-  
satione hominum scandals præbeat factis uel sermonibus, qui non  
decent religionis atque uirtutis præceptorem, certo persuasus, o-  
mnium oculos in ipsum intentos esse, et, quae alios uix decent,  
ipsi majori esse opprobrio. Maximum profecto prudentiae artifi-  
cium est hominis Ecclesiastici, ita se gerere in conuersatione cum  
aliis, ne quid jure in eo possit reprehendî, atque reuerentiam si-  
mul cum amore sibi conciliare, quare comitas non sit sine severi-  
tate, nec grauitas sine facilitate, licentiamque pariter ac affectati-  
onem ita fugiamus, ut in neutrâ partem conspiciamur. Pruden-  
tis est, ita moderati sermones et colloquia in coniuicu et consortio  
auditorum, ne quid profani incidat, ne quid torpidi aut obsceni,  
imo quamvis occasionem captare conterendi aliquid ad aedificati-  
onem præsentium, atque fidem et pieatem suam, sine ulla tamen  
ostentatione et magniloquentia, restatam faciendi. Non peroran-  
dum est et declamandum in colloquiis familiaribus, neque omnia  
pro auctoritate decidenda, sed de rebus ad religionem, litteras,  
mores uitamque pertinentibus placide colloquendum, in quibus

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Probi certe et bene morati homines hanc ordini nostro non  
facient injuriam, ut religionem atque pietatem, præsentibus nobis  
conuiciis insectentur atque maledicta et obscena uerba nobis pro-  
pincent. Quodsi autem sinistris auibus in ejusmodi nefariorum ho-  
minum sociecatem incidamus, qui blasphemias euomunt et rem  
Christianam improbe cauillantur, fortiter tuenda est caula Dei,  
*Amicorum Optimi*, ne triumphasse de nobis uane glorientur. Liceat  
vero turpissimum sit, abjectis armis terga dare atque fidei hostibus  
victoriæ relinquere, multæ tamen ferendæ nobis sunt injuriaæ  
in nostra causa propria, ut aliis patientiae exempla præbeamus,

neque fixando impedimenta muneri nostro ponamus, animosque contra nos exacerberemus. Melius sane est aliquid aurum et argenti, quam animam hominis perdere, quod facile fieri potest, si hostem illum judicamus, et de rebus nullius momenti cum ipso litigamus. Ille se profecisse in schola Iesu Christi sentiat, qui hostes amare, injuriarumque obliaisci posse merito gloriatur.

Haec sunt, *Honorissimi Fratres*, quae amor *Vobis* in memoriā reuocare jussit, perscribendaque suauis tum instituti mei, tum muneric delata ratio, ut uel sic Dioceles, cui praeceps iustus sum, salutē a me pro virili consulatur. Evidenter bene, ut par est, de *Vobis* omnibus spero, neque tamen quenquam, *Vestrū* fore arbitror, cui, quod monendum duxi, displiceat; sed omnes potius, quod satis nunquam distictrū, nunquam etiam satis dici posse et commendari, mecum existimabitis. Quod reliquum est de meo erga *Vos* animo sic habete: Fratrem nasci estis et amicum, aug- si qui *Vestrū* me hoc honore dignari uoluerint, Patrem, qui nesciū ceder amore, pietate et erga *Vos* obseruantia. Ariscaus non est mihi uobis imperare, sed suadere, rogare atque consilia *Vobiscum* communicare de re Christiana bene gerenda, animisque Christo lucri faciendis. Quia de re ut pluribus *Vobiscum* colloquar, his meis litteris ad Synodum nostram, dicto tempore diuinis auspiciis celebtantam, *Vos* quam humanissime inuitatos uolo, eamque ritu formulaque solemni *Vobis* indicō. Fauxit Deus ter Optimus Maximus felix faustumque sit primum hoc nostrum concilium, atque omnia consilia et conatus nostri cedant in suauis gloriam, commodaque Ecclesiae nostraræ perennatur! Valete!

Con

Conspiclus|

**Quaestionum Synodicularum,**

ad uerba Pauli I. Tim. IV. 16. ἐπεξε οὐαυτῷ  
ad quas forte singulis datas, breviter summatimque  
b. c. D. respondebunt R. Ministerii Collegae  
ac Fratres Honoratissimi.

- I. Quid summatis Paulus I. c. requirat ab Ecclesiae Doctoribus, qui ad prudentiae Pastoralei laudem inspirant? Respond. Superintendens.
- II. An irregenitus Minister Ecclesiae capax sit solidioris prudentiae Pastoralei? Resp. Dn. Past. Keysershag. et Reiser.
- III. Quid potissimum facienda sit animatum custodi, prudentiam Pastoralem consequituro, et quaenam praecipue sint media, quibus comparari, adgeri, et conseruari possit? Resp. Dn. Past. Horsmar.
- VI. Cur in primis assidua scripturae sacrae lectio a Doctore Ecclesiae requiratur, et quaenam circa illius tractationem obseruandas sint prudentiae regulae? Resp. Dn. Past. Lengefeld.
- V. Num Ius Canonicum, et humanas leges uera sint norma, et genuinum principium prudentiae Pastoralei? Resp. Dn. Past. Hoengedanus.
- VI. Vtrum, et quatenus historiae Ecclesiasticae tractatione,

ur et lections Patrum, aliorumque Ecclesiae Doctorum uiam nobis pandere possimus ad prudentiam Theologicam? Resp. Dn. Past. Eigenried, et Sambac.

VII. An exempla Biblica, et in primis id, quod Christus nobis reliquit, ad imitandum sint ante oculos ponenda, et quomodo haec imitatio ab Ecclesiae Ministro recte institui debeat? Resp. Dn. Past. Dachriedens.

VIII. Quaenam sit illa Φειδωνέμος γράπται, quam jubente Apostolo i. Tim. VI. v. 20. fugere debent illi, qui docentium munere funguntur in Ecclesia? Resp. Dn. Diac. B. M. V.

IX. Cur, et quomodo cum ueritatis studio pietas, et uita integritas sic conjungenda? Resp. Dn. Past. Windeb. et Salfeld.

X. An in Doctore Ecclesiae cum aliis Christianis communione, an uero singulare pietatis studium requiratur? Resp. Dn. Past. Ammaranus.

XI. Quomodo animarum custos debeat, ac possit esse ἀνεπίληπτος, ἀνέγκυλτος, aut ὄουος? I. Tim. III. 2. Tit. I. 6, 7, 8. Resp. Dn. Past. Goermar.

XII. Qua ratione fieri queat, ac debeat prudens Pastor typus, et exemplum fidelium? I. Tim. IV. v. 12. Resp. Dn. Diaconus D. Blasii, et R. Minist. Sen.

XIII. An ministerium uerbi ita dependeat a probitate, seu uita docentis, ut careat omni efficacia, si bene docens, male uiuit? Resp. Dn. Past. S. Georg, et S. Mart.

(14)

- XIV. Quid potissimum prudenti Pastorci incumbat ratione  
precum? Resp. Dn. Past. Extraord. II.
- XV. Num prudentiae Pastorali conuenienter faciant, qui  
comparare sibi, perpetuoque conferuare student, au-  
ditorum suorum amorem, ac reuerentiam, et quibus  
mediis hoc salua conscientia fieri possit? Resp. Dn. Past. S.  
Nicol., et S. Petri.
- XVI. Quid fugiendum, et faciendum sit prudenti Ecclesiae  
Ministro, qui in amore conspicuum se reddere vult? Resp.  
Dn. Past. Solstad, et Heigenrod.
- XVII. Quid conueniat tam probitati quam prudentiae pasto-  
rali in conuersatione cum auditoribus, et aliis hominibus.  
Resp. Dom. Past. Doernhei, et Hollenbac.
- XVIII. Quid ex prudentiae praescripto circa affectuum mode-  
rationem potissimum sit obseruandum, ut uerbi praece-  
tū Φρωνία inueniatur? Resp. Dn. Archidiac. et Assessor. I.  
Instant.
- XIX. Num prudentiae Ecclesiae Ministri conueniat, aliis ne-  
gotiis se immiscere, et aut opificem, aut agricolam, aut  
politicum agere? Resp. Dn. Past. Extraord. I.
- XX. Quomodo monente Apostolo. I. Tim. III. 4. et 12.  
Minister Ecclesiae operati nauare debeat, ut τε ἴδια ὄμοις να-  
λῶς προσάγεται sit? Resp. Dn. Past. Felchtenf. et Aemil.
- XXI. Num prudenter faciat Verbi diuini Minister, qui τὸ  
πρέπον, καὶ τὸ μέτρον ratione uestitus, et decori externi  
nauci floccique pendet? Resp. Dn. Past. utriusque Grabae.  
Con-

Concionis Synodicae argumentum suppeditabit gentium  
Doctor. 2. Cor. IV. v. 34. usque ad verba: *Als die Di-  
ner Gottes, illamque in aede S. Crucis habebit;* Dn. Past.  
Bolstad.

## Numerus

et ordo dierum ac textuum poenitentia-

A. ch 10 CC LXVI,

praescriptorum,

- |                   |  |
|-------------------|--|
| I. d. 21. Mart.   | { Antemerid. Zach. XII. v. 10,<br>Postmerid. Act. Ili. v. 18. 19.                                      |
| II. d. 6. Apr.    | { Antemerid. Ezech. XXXIII. v. 10. 11,<br>Postmerid. Rom. VIII. v. 12. 13.                             |
| III. d. 12. Sept. | { Antemerid. Ier. VII. v. 3.<br>Postmerid. 2. Cor. VI. v. 16. 17. 18.                                  |
| IV. d. 12. Dec.   | { Antemerid. Deuteronom. XX. 19. 20, usque ad<br>verba: und ihm anhanget<br>Postmerid. Rom. XI. v. 22. |




78L1294

X2290262



**Farbkarte #13**



EPISTOLA  
PASTORALIS  
QVA DE  
PRUDENTIA, PASTOREM IN SACRO MVNERE  
DECENTE, EIVSQUE INDOLE ET NECESSITATE  
SUMMATIM EXPOENS,  
ANNIVERSARIAM R. MINISTERII SYNODVM,  
MORE ATQVE INSTITVTO MAIORVM  
AD D. IV. NON. SEPT.  
cl<sup>s</sup> lccc LXVI.  
IN CONSPECTV  
PROCERV M SVMMORVM  
ALIORVMQVE FAVTORVM CONFLVXV  
CELEBRANDAM,  
MAXIME ATQVE PLVRIMVM  
REVERENDIS FRATRIBVS,  
DIOECESI MVHLHVSINAЕ ADSCRIPTIS  
INDICIT  
CHRISTIANVS GOTTLIEB REINHOLD;  
PAST. PRIMAR. CONSISTORII ASSESSOR, GYMNASII  
SCHOLARVMQVE RELIQVARVM INSPECTOR, ET  
DIOECES. MVHLHVSINAЕ SUPERINTENDENS.  
MVHLHVSINAЕ FORMIS BRÜCKNERIANIS,

C. 20.

A 122